



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIII. Soluuntur argumenta aduersariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

insularum, magno impetu discurrebant, quædam etiam ad Constantinopolim allisa partem mœnium, & vicinas domos euerterunt. Testatur autem Paulus Diaconus se vidisse hæc omnia. Eodem anno tanta siccitas postea fuit, ut flumina, fontes, putei ferè omnes siccaentur; ita ut omnes intelligerent, & dicerent, propter impietatem in Deum & Sanctos quam exercuerant Iconomachi, ista omnia fieri.

Denique obstinatus Imperator Constantinus ita perire ut in morte clamaret, se adhuc viuum igni inextinguibili traditum comburendum. Testis Zonaras & Paulus Diaconus in eius vita. E contrario Pipinus & Carolus filius eius, qui cum Romano Pontifice imagines defendebant, ad regnum & imperium prouecti felicissimè vixerunt, & regnauerunt, ut ex iisdem auctoribus patet.

CAPVT XIII.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

SUPEREST iam, ut argumenta aduersariorum soluamus. Ad PRIMVM Caluini dico, in illis Scripturis reprehendi idololatriam, id est, cultum imaginum, quæ habentur pro Diis, vel per quas coluntur tanquam Dij ij, qui verè non sunt.

Ad probationem illam, qua Calvinus conatur ostendere, Iudæos & Gentiles adorasse Deum in idolis; dico in verbis Caluini contineri multa mendacia. PRIMVM est, quod Iudæi & Gentiles non vocauerint Deos sua idola; nam lib. 1. cap. 11. §. 10. Institut. obiciens sibi responsionem Catholicorum, ait: *Non vocamus, inquit, nostros Deos, nimirum imagines: deinde respondet; Neque illi, aut Iudæi, aut Gentiles olim vocabant, & tamen Prophætæ passim illis fornicationes cum ligno & lapide exprobrare non desinebant. At si Iudæi non vocabant idola suos Deos, unde est illud Exodi 32. Fecit nobis Deos, qui nos precedant? & isti sunt Dii tui Israël? Vnde illud Michææ, Iudic. 18. Deos meos quos misisti feceram, abstinuisti? Et 3. Regum 12. de duobus Scutulis Hieroboam, ecce Dii tui Israël?*

Quod autem simulacra ab Ethnicis vocarètur Dij, nemo negabit.

nescit, qui aliquid in Poëtis, vel etiam Oratoribus legerit. Sed vnus locus nunc sufficiet ex Danielis 5. *Bibebant, inquit, Vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, areos, ligneosq;, & lapideos.* Et alter ex lib. Sapient. cap. 13. *Appellauerunt Deos opera manuum suarum.* Poterátne clarius Scriptura diuina Caluini mendacium redarguere?

SECUNDVM mendacium est, quòd Iudæi, cùm fecerunt vitulum aureum, non sint oblitī Deum verum. Nam planè è diametro pugnant verba Caluini cum verbis Scripture. Caluinus enim lib. I. ca. II. §. 9. sic ait: *Nec tam incogitantes erant Iudæi, vt non meminissent Deū esse, qui eos eduxerat de terra Aegypti.* At Scriptura Deut. 32. *Deum, inquit, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Et in Psalm. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile: & oblitī sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Et Hiero. cap. 2. *Ambulauerunt post Vanitatem, id est, post idola, & non dixerunt; Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti? Quid clarius?*

TERTIVM mendacium est, quòd Iudæi in omnibus suis idolis Deum vnum & verum colere voluerint. Sic enim ait Caluinus lib. I. cap. II. §. 8. *Deum quidem esse nouerant, cuius Virtutem experti erant. Sed à praeunte imagine volebant cognoscere Deum sibi itineris esse ducem.* Et §. 9. ait: *Deum aeternum Iudæi, & vnum, & verumq;, cœli ac terra Dominum sub talibus simulacris persuasi erant se colere.*

At hoc esse mendaciū probabo, PRIMO, quia si Iudæi volebant tantum signum corporeum, non erat opus, vt facerent vitulum; nam habebant nubem & columnā ignis, quæ melius ducebant, quàm vitulus, qui portari necesse habebat: non ergo signum corporeum, sed Deum corporeum quærebant.

SECUNDO, quia nulla causa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quàm ouem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Ægyptiorum, qui est vitulus niger albis maculis insignis, quem ipsi vocant Apim. de quo Cicero lib. I. de natura Deorum, & Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 5. & scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius, &c. Iudæi ergo quia videbant in Ægypto in summo honore vitulū, putauerunt ipsum

Deum cœli esse vitulum illum, & ideo illi imaginem vituli statuerunt.

TERTIO, quia Iosue cap. vi. datur optio Hebræis, an velint seruire Diis alienis, quibus seruiūt Thare & Nachor idololatræ, an idolis Amorrhæorum, an Deo Israël? non ergo in idolis adorabant, vel putabant se adorare Deum Israël. Nam alioqui potuissent respōdere, ineptam esse optionem illam, quandoquidem in ipsis idolis Amorrhæorum, & Thare & Nachor Deum verum colerent. Idem confirmatur ex 3. Reg. 18. vbi Elias dicit: *Vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum, si Baal est Deus, sequimini illum.* Vbi clarè opponitur Baal Deo vero. Quando ergo Iudæi colebant idolum Baal, certè non colebāt Deum verum. Adde illud Deut. 32. *Immolauerūt Demonis, & non Deo, Diis quos ignorabant.* Adde etiam, quòd falsò accusarentur Iudæi seruisse Diis alienis, si in idolis semper coluissent Deum verum. At, inquires, quomodo ergo de vitulo dicitur Exod. 31. *Hi sunt Dij tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Quomodo etiam ibidem de vitulo dicitur: *Cras solennitas Domini יהוה est?* Iudic. 17. *Sanctificauit hoc argentum Domini, & faciam idolum?* Ad PRIMVM respondeo, significari illis verbis, putasse Iudæos beneficium liberationis de Aegypto se accepisse, non à Deo Moysi, sed ab Api Deo Aegyptiorum. Ad SECUNDVM & TERTIVM, duplex solutio est. VNA Caietani in cap. 32. Exod. quod verè nomen ipsum, Domini, tribuatur à Iudæis idololatræ idolo, & hoc forè significare Scripturam, Sap. 14. cùm ait: *Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Nullum enim est Dei nomen incommunicabile, præter hoc יהוה. nam cetera tribuuntur aliquando etiam creaturis.

DICES, at nomen illud יהוה est proprium nomen Dei Israël, non ergo potuit comunicari. RESPONDEO, forè Iudæos illos, qui plures veros Deos esse credebant, nō putasse hoc esse nomen proprium, sed appellatiuū. Forè etiam comunicasse illud nomen per similitudinem. Quomodo enim Aegyptij vocare solent Nilum, suum Iouem; & nos de homine strenuo dicimus, hic est noster Achilles; de sapiente, hic est noster Cato: ita Iudæi de vitulo dicebant, hic est noster יהוה, habeat sibi Moses suum.

ALTERA

ALTERA solutio est Abulensis, Caietani, & aliorum in ca. 17. Iudicum, qui dicunt, duo genera idolorum fuisse apud Hebræos. VNUM sine nomine certi Dei, quale fuit idolum Michæ, Iudic. 17. & fortè vitulus aureus, quem fecit Aaron, Exod. 32. & renouauit Hieroboam, 3. Reg. 12. pon enim Scriptura vocat vitulum Deum Moloch, vel Baal, &c. sed semper ait: *Hi sunt Dij tui Israël.*

ALTERVM genus fuit cum certo nomine, vt Baal, Moloch, Astaroth, Chamos, &c. vt videre est 3. Reg. 11. & alibi. Igitur dicunt, nec improbabiler, posse de primo genere admitti, quòd Iudæi in idolo putauerint, se colere Deum verum. Ceterum in hoc etiam eos errasse grauissimè, tum quia idolo sacrificabant, & in ipso idolo diuinam vim inesse credebant tum etiam quòd imaginabantur Deum esse corporeum, & ipsi idolo similem. Ex quo sequebatur, vt putarent se colere Deum verum, sed reuera non colerent, nisi figmentum suum. Quemadmodum Manichæi dicebant, se colere Deum Patrem, & Filium eius Christum: sed quia per Deum intelligebant lucem corpoream, per Christum accipiebant solem istum corporeum; nihil habebant Dei, & Christi, nisi solum nomen.

Quòd autem Iudæi Deum putarent corporeum, & idolo similem, secundum hanc sententiam, patet ex vitulo aureo. Nam ideo faciebant Deum in forma vituli, quia viderant in Ægypto vitulum in summo honore; inde enim existimabāt, summum Deum esse vitulum illum. & hoc etiam modo Iudæi verè obliuiscabantur Dei, licet non putarent se eius obliuisci. In idolis autem secundi generis adèd certū est Iudæos nec coluisse, nec putasse se colere Deum Israël, vt id fateatur etiam Petrus Martyr Calvinista in cap. 17. Iudicum.

QUARTVM mendacium est, Ethnicos non putasse idola esse Deos. Sic enim ait Calvinus lib. 1. c. 11. §. 9. *Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, vt non intelligerent Deum aliū esse, quàm ligna, & lapides.* Hæc ille. Licet autem aliqui non fuerint ita stupidi, vt putarent idola lignea, vel lapidea esse Deos; tamen plurimi ita stupidi erant, vt verè crederent ipsa idola viuere, & sentire, & Deos esse. Neq; erat hæc tanta stupiditas, quātam Calvinus videri vult. Nam mouebantur Ethnici ad credendum, idola esse Deos propter quatuor causas.

causas. PRIMO, quia id eis dicebatur à Pontificibus suis. SECUNDO, quia videbant totū ferè mundum id credere. TERTIO, quia Diaboli opera interdum idola mouebantur, & loquebantur, & futura prædicebāt, seu potius moueri, & loqui videbantur; nam reuera Diabolus ea mouebat, & in eis loquebatur, sed populus credebat ipsa verè moueri, & loqui. Solita verò idola loqui, patet ex cap. 21. Ezech. & cap. 10. Zachariæ, & ex lib. I. cap. vlt. Valerij Maximi. QUARTO, quoniam forma humana prædita; & qui videt sua membra sentire & viuere, facilè persuadetur viuere, & sentire etiam sibi similia, præsertim si id à sapientioribus affirmari audiat. Sed quæcunq; fuerint causas, probo multos Ethnicorum credidisse, ipsa idola esse Deos, & proinde mentiri Calvinum.

Igitur credidisse idola esse Deos probo, PRIMO ex Scriptura; nam omnes Prophetæ laborant, vt doceant idola aurea, & argentea non esse Deos, & probant, quia non loquuntur, non vident, &c. Vide Isaiam ca. 46. Dauidem Psal. 113. & Psal. 134. & Habac. 2. sed præcipuè epistolam Hieremiæ Baruch 6. vbi ad singula argumenta concludit: *Vnde notum sit vobis, quia nō sunt Dī.* At certè stulti essent Prophetæ, si id retellere conarentur quod nemo assereret. Præterea Act. 19. de Paulo dicunt Ethnici: *Paulus hic suadet, dicens, quia non sunt Dī, qui manibus fiunt.* Ergo ipsi putabant esse Deos eos, qui manibus fiunt. Præterea Hierem. 2. & Sap. 13. & 14. Scriptura dicit, Ethnicos solitos inuocare idola, & eis commendare salutem suam: nemo autem inuocat, aut orat simulacrum, inquit Augustinus in Psal. 113. qui non putet ab illo se exaudiri.

SECUNDO ex Patribus. AVGVSTINVS lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 7. *Fateor, inquit, altius demersos esse qui opera hominum Deos putant, quam qui opera Dei.* Et infra: *Idola simulacra generantur, vel tanquam Deos, vel tanquam signa, & imagines Deorum.* Et epist. 49. ac in Psal. 113. dicit, Ethnicos multos putasse ipsa simulacra viuere, spirare, & audire, & proinde esse Deos viuentes, & in hoc errore foueri ex ipsa similitudine humanorum membrorum.

TERTVLLIANVS in Apologet. cap. 12. dicit, Deos Gentilium plura pati, dum fiunt, ab artificibus, quàm patiantur Christiani cū occiduntur, quòd eos nolint adorare

EVSEBIVS lib. 5. præparat. cap. 15. *Triginta, inquit, Deorum*

milia

millia in terra esse censet Hesiodus. ego autem multò plures lapideos, atq; ligneos hominum creatores esse & ideo. Denique Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Theodoretus, & alij, qui scribunt contra Gentes, ridēt Ethnicos, quòd ligna, & lapides pro Deo colant: Et quid est, quod ait Horatius lib. i. serm. Satyra. 8.

*Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus faceret scamnum, anne Priapum,
Maluit esse Deum?*

Nec solùm Poëtæ, sed etiam viri sapientissimi hoc senserunt; nam HERMES Trismegistus apud Augustinum lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 23. dicit, alios Deos factos à summo Deo, alios autem ab hominibus: Deos autem ab hominibus factos dicit esse statuas, quibus arte quadam magica alligatur Dæmones, ita vt statua sit quasi corpus Dei, spiritus autē inclusus sit anima, & totum idolum sit Deus, quomodo corpus, & anima est homo. Et ARNOBIUS lib. i. contra Gentes: *Venerabar, inquit, ó cecitas, nuper simulacra modò ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos. Et infra: Tanquam inesset vis presens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam. Et infra: Deos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in huiusmodi rerum habitare materia. Vide igitur, Lector, an non mentiatur Calvinus, cùm negat Ethnicos habuisse idola pro Diis.*

AT, inquit, Ethnici mutabant simulacra pro arbitrio, nec tamen Deos mutabant. RESPONDEO, Ethnicos eadem stultitia, qua putabant aliquos Deos posse fieri manibus hominum, potuisse etiam credere Deos aliquos potuisse destrui manibus hominum.

SED rursus, ait Calvinus, vni Deo multa simulacra ponebant. RESPONDEO, Ethnicos habuisse alios Deos in cælo, alios in terra: nec putasse absurdum, si vnus Deus cœlestis, vt Iuppiter, vel Apollo, haberet in terra multos collegas minores, id est, multa idola eiusdem nominis.

Deniq; addit Calvinus, Ethnici nouas imagines sacrabāt, nec tamen putabant se nouos Deos facere. RESPONDEO, falsum esse, non putasse Gentiles, se nouos Deos facere, saltem terrestres.

QVINTVM mendacium est, lib. 1. Instit. cap. 11. §. 10. *Propheta, inquit, passim Iudæis & Gentilibus fornicationes cum ligno & lapide exprobrare non desinebant, tantum ob ea, quæ quotidie ab eis fiunt, qui Christiani haberi solent, nempe quod Deum in ligno, & lapide carnaliter venerabatur.*

Hoc est maximum & perniciosissimum mendacium. Nam imprimis Iudæi & Gentiles immolabant idolis, ut patet de Iudæis Exod. 32. & alibi de Gentilibus 1. Corint. 10. & alibi hanc Scriptura vocat fornicationem: Christiani autem inquam imaginibus immolarunt.

Præterea Iudæi & Gentes, vel idola putabant Deos, ut ostendimus, vel certè in idolis creaturas pro Deo colebant, quod Christiani non faciunt. Quod autè Gentiles in idolis colerent creaturas pro Diis, probatur; nam plurimi in simulacris colebant pro Diis homines mortuos, quos & ipsi mortuos esse credebant, sed non facilè audebant id populis dicere. Probat hoc Lactantius lib. 1. cap. 14. & 15. ubi etiam refert, Ciceronem Tulliolam suam Deam facere conatum esse, erecto illi simulacro. Et August. lib. 8. cap. 26. de ciuit. Dei probat, Paganorum Deos homines fuisse. & lib. 18. c. 5. docet Serapidis simulacrum digito ad os admoto indicare solitum, ut taceretur Serapidum fuisse hominem, immò & penam capitis constitutà ait iis, qui Serapidem hominem fuisse dicerent, cum tamen verè hominem fuisse, & mortuum, acceptum cõstaret. Idem probat Cyprianus initio libri de idolorum vanitate, & Eusebius de præparat. Euang. lib. 2. cap. 7. & Tertullianus Apologet. cap. 11.

Alij non homines mortuos, sed dæmones in idolis pro Diis colebant, ut patet ex Hermete apud August. lib. de ciuit. Dei, cap. 23. Quanquam dæmones non solum inuitati magicis artibus, ut Hermes dicit, sed etiam sponte sua in idolis habitabant, & se supponebant pro mortuis hominibus, ut locorum adorarentur, ut docent B. Cyprianus initio libri de idolorum vanitate, & B. Aug. li. 8. ciuit. Dei, c. 24. & lib. 22. contra Faustum, c. 17. & idem patet ex eo quod dæmones assumpserunt sibi nomina vel idolorum, in quibus residebant, vel hominum mortuorum, quorum vice colebantur. Ad iurati enim, & rogati nomen, quidam dicunt se vocati Beelzebub, quidam Moloch, quidam Chamos, &c. alij Iouem, aut Mercurium, aut

aut Apollinem, &c. vt obseruarunt Origenes lib. 6. contra Celsum paulò antè medium. Eusebius lib. 4. præpar. c. 6. Lactant. li. 2. c. 16. & Sulpitius in vita B. Martini. hoc idem Scriptura testatur, cum Deut 32. dicit: *Immolauerunt demoniis, et non Deo.* Et Psal. 95. *Dij Gentium demonia, &c.* Et 1. Cor. 10. *Qua immolant Gentes, demonibus immolant, & non Deo.*

Alij nec simulacrū, nec homines mortuos, nec dæmones in idolis colere se dicebant, sed partes mundi; nam in idolo Apollinis colebant Solem, in idolo Neptuni mare, in idolo Iouis ætherem, &c. vt referunt Eusebius lib. 3. præpar. cap. 2. & Augustinus in Psal. 113. & lib. 4. ciuit. Dei, cap. 10. & lib. 7. ciuit. Dei, cap. 5. & sequentibus.

Alij deniq; nec ipsas corporeas mundi partes in idolis colere se dicebant, sed animas earum partium, id est, Solis, Lunæ, Terræ, &c. vt referunt Eusebius lib. 3. ca. 3. præpar. & Augustinus loco citato. Sed omnes isti, vt patet, creaturas pro creatore coluerunt: nisi quis ita desipiat, vt homines mortuos, dæmones, elementa, stellas, creaturas esse neget. Id igitur Scriptura in Ethnicis reprehendit, quòd adorauerint creaturam pro creatore: quod sanè Catholici nec faciunt, nec fecerunt vnquam, cūm imagines nec Deos putent, nec imagines Deorum.

CAPVT XIV.

Soluitur argumentum secundum.

AD SECVNDVM argumentum ex Conciliis. Dico in primis Concilia duo Constantinopolitana fuisse illegitima. Quod patet PRIMÒ, quia non adfuit Romanus Pontifex nec per se, nec per legatos, vt ex Zonara, Cedreno, Paulo Diacono, & ex Synodo Nicæna II. actio. 6. patet. Porro regula est Ecclesiastica Concilij I. Nicæni, sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia generalia celebrari, vt præter alios refert Socrates lib. 2. cap. 13. SECVNDÒ, quia non consenserunt vlli Patriarche nec per se, nec per legatos, vt ex iisdem auctoribus patet. TERTIO, quia omnes auctores, qui de Conciliis generalibus scribunt; vt Psellus, Photius, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus, Nicetas, Paulus Diaconus, Regino, Ado Sigebertus,